

一
三
一
一
る
た
ん



F A B U L Æ.

rius & illi: cansaque ob
et intellecta,
iliter, aure-
urim: atque
imississet, ro-
i quum ve-
avisus, eam
diceret; tan-
tus impuden-
non modo il-
it, sed ne pro-
dem reddidit.

ἀπεδωκεν.

A B U L A T I O.

ula significat;
in justis auxilia-
antum injustis ad-
Deum.

S,

P R Æ C E P T A M O R V M,

Institutioni puerorum accommo-
data, facilioris memoriae causa, stylo jux-
ta textum solutum sonante, carmi-
nibus comprehensa propo-
nuntur.

Ut autem intelligentius disci possint, textus etiam è re-
gione exhibetur, prout à Clar. ac Doct. viro, JOAN-
NE-AMOS COMENIO collectus est; in usum

Varadien Scholæ,

Operâ SAMUELIS ENYEDI, M. D.


Seneca;

*Mores primùm disce, mox Sapiëntiam: quæ sine mori-
bus non bene discitur.*

Vulgatum;

*Qui proficit in literis, & deficit in Moribus, plus de-
ficit quàm proficit.*


9985.



V A R A D I N I,
ANNO SALUTIS M. DC. LVIII.

1658





C A P. I.

DE MORIBUS IN
GENERE.

1. **E**st fundamentum morum mens compositorum,
Quam regit & numen studium reverensq; bonorum.
2. Sic ubi consistas adolescens, mente teneto,
Angelus est praesens, cernunt hominesque Deusque.
3. Ergo majestas tibi sit venerabilis horum,
Hisque cave turpi culpam contrarius esse.
4. Jussa Dei metuas, animo sincerus & esto:
Sermo cum vultu sit cultus carnis honestus.
5. Nil affectatum placeat nullum quoque tectum:
Unica sit rectum simplex & regula vitae.

C A P. II.

DE VULTU, TOTIUSQ. COR-
PORIS STATU ET GESTU.

- Conspectum quoties hominis captabis honesti,
1. Erectum corpus sit. 2. Sta pileoque reiectus.
 3. Vultus non tristis, torvus, variansque protervus:
Temperet ast hilarem faciem facundia prudens.
 4. Frons explanetur, nec fiat plena rugarum.
 5. Distortum lumen, pravam, variumque reflexum

Ne sit,



I.

DE MORIBUS IN
GENERE.

1. **M**orum fundamentum est Animus ita composi-
tus, ut Deo & Hominibus bonis placere volupe
sibi ducat.
2. Ubi-ubi ergo es, Adolescens, in conspectu Dei &
Angelorum, forsam & Hominum, versari te memento.
3. Ac proinde admittere quidquam majestate Dei,
Angelorumque & Hominum oculis indignum, cave.
4. Animus purus tibi sit propter Deum & conscien-
tiam: Vultus autem, & Cultus, & sermo & omnia ex-
terna, munda & honesta, propter Angelos & homines.
5. In omnibus vero istis nihil affectatum & fucatum
placeat: Simplex & Rectum omnium actionum Regula
tibi sit unica.

II.

DE VULTU, TOTIUSQ. COR-
PORIS STATU & GESTU.

- Quoties in conspectu cujuscumque honesti es, ita te
geres:
1. Componete in rectum Corporis statum.
 2. Caput sit apertum.
 3. Vultus nec tristis aut torvus, nec rursus protervus
aut instabilis: sed hilari modestia temperatus.
 4. Frons explanata, non in rugas contracta.
 5. Oculi non vagi, non limi, non distorti, non pro-
caciter huc illuc jactati, aut rursus nescio quod defixi:

A 2

sed

P R Æ C E P T A

Ne sit, cū loqueris fias intentus in illum.

7. *Mundæ sint nares à mucō. 7. Flatibus actæ
Esse sinant buccæ, positum servanto decentem.*
8. *Non hiet os, vastum ne sit, labiisque retortum:
Non fortis, sed sit labiorum clausula lenis.*
9. *Utrâque præcaveant mutuò se rodere labra:
Exertam teneas ne linguam ceu canis unquam.*
10. *Erige cervicem, non flectas in latus unum.*
11. *Æquales humeri sint, nec demissior alter.*
12. *Ne manibus gestes, nec iis turbato capillos;
Aures ne fodias, vellas ne Cæsariemve:
Aut agites quicquam, quod prudens dicit ineptum.*
13. *Erectus stabis, pedibus consiste duobus,
Non uno, sicut stat fixa Ciconia cruri.
Factis nec pedibus, moderatè jungito crura.*
14. *Esto sedendo probus, dorsum parcat parieti,
Per cubitūque tuos præsens nec mensa prematur,
Nec flectas humeros: resupinans membra tenendo,
Infra pendentem agitet ne motio suras.*

C A P. III.

G E S T U S C I R C A N A T U R A -
L E S A C T I O N E S.

1. *Esto verecundus quid agis tu semper in actus.*
2. *Si rides, risus modicus sit, nonque cachinnus:
Cunctis stultitiæ est, dictis, applaudere factis;
Arridere autem stupidi dementia nullis:
Tu medium teneas, medium tenuere beati.*
3. *Expue conflatam buccis & in ore salvam.
Aversus facie, ne incautus conspue quemquam.
Phlegmatis indicium certum est sputare frequenter;
Bestia consuevit madidam sorbere salivam.*

4. Mu-

M O R U M.

sed verecundi, semper in illum cum quo loqueris modestè intenti.

6. *Nares mundæ, à mucō liberæ.*
7. *Buccæ non inflatæ, sed naturalem servantes situm;*
8. *Os non hians, neque diductum, aut intortum, vel rursus fortiter compressum: sed leniter se contingentibus labiis clausum.*
9. *Labra non se invicem mordeant: multò minus Lingva exierat, & ostendet.*
10. *Cervix erecta sit, non in latus unum deflexa.*
11. *Humeri æqualiter elevati, non alter altero demissior.*
12. *Manus non sint gesticulosæ: hoc est, neque iis scabito caput, neque fodito aures, aut nares, neque torque-to comam, aut simile quid ineptum agito.*
13. *Si stas, ita erectus, insistens pedi utrique, non alterutri, Ciconiæ instar: neque pedibus divaricatis, sed moderatè junctis.*
14. *Dum sedes, modestè sede: non dorso parietem fulciens, neque cubitis mensam premens: neque in alteram partem te supinans, aut pedes infra te agitans.*

III.

G E S T U S C I R C A N A T U R A -
L E S A C T I O N E S.

1. *Quicquid agis, verecundè age.*
2. *Si rides, risus sit, non cachinnatio: sed risus modestus, [Omni- bus dictis & factis arridere, stultorū est; nullis, stupidorū. Auream ubique hinc etiam serva mediocritatem.]*
3. *Si saliva ori molesta est, expue: sed aversus, ut ne quem conspuas. [sputare sæpe, vitiosum; resordere salivam, bestiale.]*

A 3

4. 5

P R Æ C E P T A

4. *Mucum, si feriat nares, emunge gravantem:
Non manica, pileo, digitos & lintea serves;
Aversus facias, palmas ne commaculato:
In terram mucum projectum protere plantis:
Sordibus ejus ne moveatur nausea cuiquam.*
5. *Ori si flatus, si sternutatio, tussis
Obvenit, avertas te, aut palmam ponito ad ora.
atque dabis sonitum buccas moderando modestum.*
6. *Præcaveat crepitum vel bombo: edere venter.*
7. *Urinam mittas, aut alvum, non, nisi solvas
Solo in secessu, cunctis hoc dictat honestas.*
8. *Ursus cum sonitu spirat, sed non vir honestus.*

C A P. IV.

D E C U L T U E T V E S T I T U.

1. *Prolixam nutrire comam, quâ fronsque tegatur,
Aut humeris volitet, bene scimus apostolus arcet.*
2. *Qualisqualis erit, munda esto, pexaque semper,
Quisquiliis, furfur, lentes ne ferto capillis.*
3. *Calceus & vestis, pileus, sint cingula munda,
Sordida ne fiant, aut siccò pulvere tecta.*
4. *Semivestitum morionem semiquecinctum,
Addecet incedere, & non sic morum studiosum,
Pallia vel penulas humerum portare per unum.*

C A P. V.

D E I N C E S S U.

1. *Publica non cernas hominum consortia, nisi sis
Ablutus, pexus, sic vestitusque decenter.*
2. *In plateis hominum cum te conspectus habebit,*

Ne quis

M O R U M.

4. *Si mucus nares gravat, emunge illum: at non manica vel pileo, sed strophio, aut digitis duobus, (aversus itidem) ne manum commacules: ejectamque pituitam protere pede, ne cui nausea creetur.*
5. *Si obvenit oscitatio, vel sternutatio, vel tussis, aut te similiter averte, aut obduc ori manum, sonitumque moderare.*
6. *Crepitum edere ventris turpe est, cave.*
7. *Levare vesicam, vel alvum, nisi in secessu, fuge, cui cui honestas cordi est.*
8. *Spirare etiam cum sonitu, ursinum, potius est quam humanum.*

IV.

D E C U L T U E T V E S T I T U.

1. *Comam nutrire prolixam, quæ frontem tegat, aut involitet humeris, Apostolus vetat.*
2. *Qualisqualis tamen est, pexa sit & munda, à quisquiliis, furfuribus, lendibusque & pediculis libera.*
3. *Pileus, Vestis, Calceamenta, Cingula, munda sint, non fordidata luto aut pulvere; nedum re alia turpiore.*
4. *Semiindutum semiquecinctum incedere, morionem potius decet quam studiosum: sicut & togam vel pallium ab altero tantum humero pendentem gestare.*

V.

D E I N C E S S U.

1. *In publicum ne prodeas, nisi lotus, pexus, decenter vestitus.
In plateis, & ubicunque in hominum conspectu,*

A 4

mode-

P R Æ C E P T A

- Ne quis te culpet, gestu potiare modesto.*
3. *Compositus gressus, non tardus, nec celer adsit,
Tardus pigritiæ, præcepti levitatis alumnus.*
 4. *Incedendo pedes moveas æqualiter, & non
illis subsultes, variò ne brachia jactes;
Nónque latus quatiàs retrò spectando subinde.*

C A P. VI.

I N S E R M O N E.

1. *Discendi causa vel fiat sermo docendi.
Tu fileas aliter, ne nugis lingua suescat.*
2. *Dirige cùm loqueris mentis dictamine linguam,
Nam secus hærebis, sonitumque dabis sine mente.*
3. *Articulatus sit sermo, distinctus & aptus,
Auditor poterit demum cognoscere rectè.*
4. *Esto vox mollis, nec non sedata loquentis,
Non fragor obtundens fiat, nec mussitet unquam.*
5. *Dum loqueris linguâ loquitur, non utere gestu,
Aut nutu capitis, digiti, vel corporis ullo.*
6. *Si quid scire velis, aut ad quæ sit a reponis,
Responde breviter, clarè, proferque modestè.*
7. *Immoderati animi est interpellare loquentem,
In finem fuerit deductus sermo priusquam.*
8. *Dicere si spurcum cogant præfator honorem,
[Cum veniâ vestræ pro tempore sit modus auri.]
Aut fac circuitum, quantum fas profer honestè.*

M O R U M.

- modestè te gere: ut ne quisquam quod culpet inveniat.*
3. *Incessus sit compositus: nec tardus, quod pigriti-
em arguat; nec celer nimis ac præcepti, quod levitatem
ostendat.*
 4. *Incedes autem pedes æqualiter movendo: non
subsultando, non brachia jactando, non latera quassan-
do; nec respectando subinde, retrò vel ad latera, &c.*

VI.

I N S E R M O N E.

1. *Sermo discendi aut docendi causa instituat: aliàs
tacere præstat.*
2. *Cùm loquendum est, Mens præcedat Linguam,
non contra: ne hæsitare, aut aliquid impulsè dictum re-
vocare, necesse habeas.*
3. *Pronunciatio Sermonis distincta sit, & benè arti-
culata, ut rectè intelligatur.*
4. *Et Vox loquentis mollis & sedata: non clamosa,
aures obtundens; aut mussitata, ad aures vix pertingens.*
5. *Dum loqueris, linguâ loquere, non capite, aut
manu, aut corpore toto: hoc est, nutu aut gestu.*
6. *Si quid interrogas, aut ad interrogata respondes
clarè, breviter, modestè, profer.*
7. *Loquentem interpellare, antequam sermonem
absolverit, vehementer incivile est.*
8. *Spurcum quid si necessariò dicendum est, aut præ-
faberis honorem. [cum venia, sit honor auribus, &c.]
aut uteris circuitione: ut res minus honesta non nisi
honestè velata ad aures & animum veniat.*

P R Æ C E P T A

C A P. VII.

M O R E S M A T U T I N I.

1. Est deditus studiis, somnus ne comprimat illum:
Horas det septem somno, tandem vigilabit;
Præsertim auroram Musis veneretur amicam.
2. Cum primum evigilas animo require Tonantem,
Quòd te per noctis tenebras defenderit, adfer
Grates, ac ora fautor velit esse dici.
3. Egressus lecto disjectos pectè capillos,
Cum manibus vultum tu lymphis ablue mundis,
Proluito & fauces, vestes compone decenter.
4. Veneris in cuius conspectum dicitò, fœlix
Ipsa dies fiat, sic fausta precator amicis.
5. Illis finitis te ad libros verè legendos,
Quæ per agenda die sint lustra sedulus isto.
6. Quicquid agendum sit, tu fias serius actor,
Disponas prudens, procedant ordine cuncta,
Numinis auxilium prece, voti, affore poscas.

C A P. VIII.

M O R E S I N S C H O L A.

1. Ad ludum properes studiorum, negligè nunquam.
2. Tunc tua portabis tecum arma scholastica; (libros,
Turpe etenim est chartas, calamos, aliunde rogare.)
3. Inque tuam sedem venias, & non alienam.
4. Garritu aut strepitu reliquos turbare caveto,
Omnia fac placidè dum vult intrare Magister.

5. Sapi-

M O R U M.

VII.

M O R E S M A T U T I N I.

1. Deditus literis somnolentus non erit: septem
horis somno datis ad vigiliam festinabit. [*Aurora
Musis amica.*]
2. Quum primum evigilaveris, Deum cogita, quòd
te per noctis tenebras custodierit gratias age, & ut tibi
sequentem diem faciat faustum ora.
3. Lecto egressus capillitium come, manus & vultum
aquâ mundâ ablue, os prolue, vestes decenter indue.
4. Quibuscunque in conspectum venis, felicem diem
apprecare.
5. Peractis que salutationibus ad libros transi, & die
illo agenda, lustra.
6. Quicquid autem agendum fore vides, seriò agere
propone, atq; ut omnia procedant ordine, omnia pru-
denter dispone, adhuc dum in auxilium advocans Deum.

VIII.

M O R E S I N S C H O L A.

1. Ad Scholam ut ad ludum festina (est enim) nun-
quam emane.
2. Arma tua scholastica, eâ die & horâ necessaria,
tecum porta.
[*Turpe Scholarem libros, chartas, calamos, atramentum,
aliunde mutuari.*]
3. Locum tuum, non alienum, illicò occupa.
4. Garritu, vel strepitu, molestus aliis ne esto: mode-
stè omnia tua, dum Magister ingrediatur, age.

5. Sapi-

P R Æ C E P T A

5. *Suspiriis tacitis, est qui sapientia, Christum
Ores, ut præsit copiose spiritus ejus:
Cujus opem citra nostra est solertia frustra.*
6. *Dona petentibus ille tamen quia scit dare cunctis,
Qui pulsant aperit, quærenti subvenit ipse.
Disce velut tibi subsidii nihil ille referret;
Nî graviter pergas studii tractare labores.*
7. *Doctus Præceptor si sit, doctusque libellus,
Te stupidum pudeat vacuum gestare cerebrum.
(Quicquid Præceptor scit noveruntque libelli,
Illa scias, operam solers dato tu quoque cunctis.)*
8. *Subsidium mentis tecum liber esto notarum,
In quem describas id, quod non ante sciebas;
Quem si non habeas, aut curam negligis ejus:
Index discipuli cunctis fit certus inertis.*
9. *Hora, dies vanus fuerat quo nîl didicisti.*
10. *Dimissus proprias ludo properabis ad ædes,
Ne cursu plateas reple, nec statò frequenter.*
11. *Obsequii quid te cupiunt præstare parentes,
Aut herus, absolvas animo tractanda fidei;
Expeditas promptè rem, si quò missus abibis.*
12. *Præter servitiam, restans tempus dato Musis.*

C A P. IX.

E R G A P R Æ C E P T O R E M.

1. *Præceptoris amore velut tenere parentis,
Cujus in aspectu semper versare libenter:*

2. *Obse-*

M O R U M.

5. *Sapientiam æternam, Christum, ut tibi Spiritum
suum largiatur, tacitis suspiriis invoca: quippe citra cu-
jus opem frustranea esset omnis diligentia nostra.*
6. *Quia ramen ille petentibus dat, pulsantibus aperit,
quærentibusq; quod inveniant offert; sic stude, tanquam
ille nihil auxilii laturus sit, nisi graviter laboranti.*
7. *Erubescere Præceptorem habere eruditum, librosq;
eruditos, ipse ineruditus.
[Quicquid ergò scit Præceptor, & sciunt libelli tui, ut
scias tu quoque allabora.]*
8. *Memoriæ subsidium Diaria sunt, in quæ quicquid
(ignotum antè) addiscitur, consignatur. Diarium ergò
non habere, aut negligenter curare, inertis discipuli nota
est certissima, animadversione digna.*
9. *Inter infelices diem illum reputa (imò horam)
quâ nihil novum addidicisti, Eruditionique tuæ nihil
adjecisti.*
10. *Scholâ dimissus domum propera: per plateas ne
discursas, ne restas, ne indebita age.*
11. *Domi quicquid obsequii præstandum est parenti-
bus, aut heris, alacriter obi: aliò autem amandatus, fide-
liter negotium expedi, ocyusque redi: ut literis cultum
ad omnia esse idoneum appareat.*
12. *Quicquid præter servitia restabit temporis, stu-
diorum repetitioni tribue.*

[Nihil in vita pretiosius tempore: Tempus qui perdit,
Vitam perdit.]

I X.

E R G A P R Æ C E P T O R E M.

1. *Præceptorem ut patrem ama: nec ullibi verseris
lubentius, quàm in ejus conspectu.*
2. *Præ-*

P R A E C E P T A

2. *Obsequium praesta verbo factoque docenti,
Et formatori mentis reverentia detur.*
3. *Exemplar vivum Praeceptor sit tibi morum
Notitiaeque, sequi studeas in omnibus illum.*
4. *Ausculata quoties loquitur, monstrat quotiesque,
Attendas; nutu solers imitare regentem,
Emendat quoties, defectus corrige cunctos.*
5. *Offensus nunquam Praeceptor tristis item sit
Per te praecaveas, siquidem turbare Magistrum
Atque parentes, est Esau committere crimen,
Chamiticum; scelus est lusu ridere parentes.*
6. *Omnia praevenias, ob qua tibi pena daretur.*
7. *Si tamen ob culpam monitus vel verbera plexus
Tu fueris, perfer, moveas nec murmure rixas.
Laude bona gaude, laudem pergasque mereri.*

C A P. X.

ERGA CONDIPULOS.

1. *Discendi socios habeas pro fratribus omnes.*
2. *Vivito cumque tuis concorditer omnibus illis.*
3. *De studiis tibi sit certamen, non secus unquam,
Nec cui fac rixas, sed prudens aemulus esto:*
4. *Doctior ex sociis & honestior esto sodalis,
Atque frequens ejus sit conversatio tecum.*
5. *Quem superare velis, tenta certamen in illum.*
6. *Sapius, & cura victor non victus abire.*

7. *Irata*

M O R U M.

2. *Praeceptor omnem reverentiam & obsequium,
verbo & opere exhibe.*
3. *Praeceptorem ceu vivum exemplar (Eruditionis,
Morum, Pietatis) intueri, exprimerique in omnibus
stude.*
4. *Quoties Praeceptor loquitur, ausculata; quoties
praemonstrat, attende; quoties manu aut ore praestit, imi-
tate; quoties emendat, corrige.*
5. *Praeceptorem ne unquam offendas, aut contristes,
cave. [Immorigerum esse Magistro, & Parentibus, Esavitium
cum quid est: ludibria insuper exhibere, Chamiticum flagi-
tium, maledictione Dei puniendum.]*
6. *Praevenire omnia, ob qua vapulare possis, stude.*
7. *Increpatus tamen ob admissam culpam, vel casti-
gatus, perfer, ne murmura: Laudatus autem ob virtutem,
gaude, laudemque mereri perge.*

X.

ERGA CONDIPULOS.

1. *Omnes studiorum socios pro amicis & fratribus
habe.*
2. *Cum omnibus concorditer vive.*
3. *Certamen cum nemine, nisi de Literis, habe: neq;
hic tamen rixas aut odia exercendo, sed diligentiam
aemulando.*
4. *Doctiores & modestiores Condipulos magis
ama, illisque libentius conversare.*
5. *Quem diligentiae laude superaveris, eum saepe ad
certamen provoca.*
6. *Provocato ne succumbat, sed praevaleat, summae
curae esto.*

7. *Victus*

P R Æ C E P T A

7. *Iram ne faciat cuiquam victoria victo,
accipiat stimulum vincendi victus at inde.*
8. *Vincere, sic vinci, virtutis cos erit alma.*
9. *Si quis nec sic vult laudem affectare studendo,
Ut pecus ignavum cunctis contemnitur ille.*

C A P. XI.

DE CONVERSATIONE
CUM QUIBUSVIS.

1. *Illis cum tua fac sit conversatio tantum,
Doctior & melior quorum sapientia mos, ut
Reddaris melior, reliquos aut fac meliores.*
2. *Colloquium fugias pravum, consortia prava,
Ut pestem, placidos juvenum sedantia mores.*
3. *Inter mortales cum sit tibi vita trahenda:
Prudenter circumspice semper, scandala ne des,
Aut capias. Ad quæ sapientum dicta tenebis:*
4. *Dilige quosque bonos pravum nullumque lacesse.*
5. *Ne tua jactes, despice vel carpas aliena.*
6. *Officiis certes, iram rixasque caveto.*
7. *Nulli morosus, sed sis affabilis omni.*
8. *Des aliis potius, poteris si quam pete quicquam.*
9. *Laudari cupias minimè, laudanda procures.*
10. *Obvius est si quis faustam illi optato salutem;
Si vir præcellens sit, coram aperi caput illo;
Cede viam, genibus flexis ac exhibe honorem.*
11. *Ipse salutatus fueris quando, resaluta.*

M O R U M.

12. *Cum quovis consistere, aut quemvis ignotum
fixè intueri, incivile est: nihil verò quenquam attendere,
stupidum.*
13. *Conspectum ferre virorum honestorum consue-
sce: pudor nimius rusticus est.*
14. *Quoties cum honoratiore loqueris, titulum ho-
noris subinde repete. [Si cum ignoto loqui contingit
(cujus te fugiunt tituli) liberale erit quemvis Eruditum
nominare Præceptorem observandum: Ecclesiæ Pastorem,
Patrem Reverendum: Politicum, Dominum: Æqualem,
quemcunque, amicum & fratrem.]*
15. *Jurare cave: sermo tuus sit: Ita; & Non.*
16. *Nullum peccatum admissum nega, sed confitere:*

XII.

I N T E M P L O.

1. *A sacris coetibus nemo se absentet, cui gloria Dei
salusque propria cordi est.*
2. *Suum quisque hymnorum Dei librum, Bablicum
que Codicem (sicui est) secum ferat.*
3. *Et procedant omnes junctim, ordine decoro, &
Schola usque in templum.*
4. *Ubi quisque cum grege suo (æquè ut in Schola)
confideat, non alibi.*
5. *Locumque ut attigerit suum, prostratus coram
Deo, commendet eidem animam suam.*
6. *Toto præsentia suæ in templo tempore versetur
ut in conspectu Dei: cavens sedulo, ut ne verbis, gestu,
nutu, cogitatione, aliquid admittatur indignum Deo.*
7. *Ecclesiâ laudes Dei concinnente, non tacebis no-
vellus Christianus: os & cor suum ipse quoque formans
in organon laudis Dei.*

P R Æ C E P T A

8. *Nomine divino benedictio dicta Ministro,
Corde fidèque simul capiatur relligiosè.*
9. *Suspirium precibus proprium communibus addet,
Composito gestu fiat devotio nota.*
10. *Verba Dei pileo nudatus quando leguntur
Stabit, non aliter, cum sit vox ipsa Tonantis.*
11. *Dum locus ex sacris à proponente refertur,
Percepit si non, querat mox codice verso,
Inventum discat, solerter deinde notabit.*
12. *Excipiant calamo qui pollent dicta ministri:
Pellitur hac methodo somnus, distractio mentis;
Illis thesaurus dabitur mansurus in ævum.*
13. *Ex sacris recitet didicit quid quisque reversus
Ad ludum, ratio sic constet temporis acti.*
14. *In templo si quis somno vinoque sepultus
Inventus fuerit, vel quod non pertinet illuc
Egerit, id pœnâ memori sit culpa piandum.*

C A P. XIII.

A D M E N S A M.

1. *Accedas mensæ tanquam vir sanctus ad aram.*
2. *Post ac ante cibum precibus benedictio celsa
Implorata fluat, veniat cum desuper omnis.*
3. *Exposcat si te, pro tempore Mensa Ministrum,
Officiosum te præsta, in quævis oculatum.*
4. *Cum senibus junior sedem si ferre juberis,
Moribus aduersum ne quid fac perspice cuncta.*
5. *Ingenuis dicenda viris hæc rustica sunt:*

a Accum-

M O R U M.

8. *Benedictionem nomine Dei à Ministro Verbi de-
nunciatam audiet religiosè & applicabit sibi fiducialiter.*
9. *Precibus publicis sua semper adijunget suspiria,
gestu ad devotionem composito.*
10. *Verbum Dei cum prælegitur, nunquam aliter,
quam stando, capiteque nudato, audiet.*
11. *Dumque inter illustrandum verba Dei verbis Dei,
locum Scripturæ allegari audiet sibi prius non animad-
uersum, eum in suo Codice mox inquiret, & notabit.*
12. *Qui pollent manu (à discipulis secundæ Classis
facto initio) excipient sacras Conciones calamo: som-
num hæc ratione, & cogitationes vagas, pellendo, the-
saurumque sibi optimum sapientiæ divinæ, & in res o-
mnes attentionis pulchræ, thesaurizando.*
13. *In Scholam reversi, omnes quid ex sacris profecer-
int, Magistro rationem reddunt.*
14. *Ubi si deprehensum fuerit, dormiisse aliquem in
templo, aut garruisse, vel impertinentia egisse, piaculum
sit extrema confusione piandum.*

XIII.

A D M E N S A M.

1. *Ad mensam accede tanquam ad aram, piè ac honestè.*
2. *Preces ante & post cibum nunquam intermittun-
tor: Benedictio enim pluit desuper.*
3. *Si tibi ad mensam ministrandum est, officiosum
te, & ad omnia oculatum, exhibe.*
4. *Si tu junior assidere Mensæ cum senioribus jube-
ris, circumspicte age omnia, ne quid bonis moribus ad-
uersum committas.*
5. *Rusticum enim est;*

B 3

a Non

P R Æ C E P T A

- a Accumbens mensæ non invitatus, b & altam
 c Si capias sedem, manibus si mensa prematur.
 d Brachia jaçtentur sublatis pendula mensis,
 e Cum dapibus panem manibus si triveris, aut si
 Dentibus exeris epulas arrosaris omnes.
 f Præcipias aliis præceps meliora vorésque.
 g Cochlear ut plaustrum si pulvis ingerat ori.
 h Sic nimiosque bolos patulis intrudere buccis.
 i Turcicus ut mos fert digitos prætingere primum:
 k Ossaque si radas ad mensam more canino.
 l Rasare quando alii abs te proponis edenda,
 m Aut cibus eximitur buccis, imponitur orbi.
 n Si garris, scalpis putidum caput inter edendum.
 o Mandere cum loqueris si tendas tunc simul erras.
 p Ore tenens offam si potas rusticus esto.
 q Distractus labiis haustus sorbere boantes.
 r Ungvibus & cultro dentes fodisare caveto.
6. Viribus ut validum juvenum sit corpus edendum,
 Ingluviem replent lurcones & comedones.
7. Ore bibas terso, contentus sis tribus haustis;
 Evacuare scyphos Hunnorum desine more.
8. Et puer ad mensam faciat nisi verba rogatus.
9. Non prolonganda est ad cœnæ sessio finem
 A puero, sumto quantum satis est alimento
 Surgat, sed tollat quadram, fœlicia poscens
 Convivis, abeat post hæc, aut stando ministret.

XIV.

A P R A N D I O.

r. Ablue

M O R U M.

- a Non invitatum accumbere,
 b Loci prioritatem captare,
 c Brachiis mensæ inniti,
 d Aut rursus manum habere sub mensa,
 e Et panem dapésque cæteras manibus frangere, aut
 dentibus arrodere,
 f Et lautiora præripere aliis,
 g Et cochleari ut plastro imponere,
 h Aut nimios bolos ingerere ori,
 i Et prælingere digitos:
 k Et radere ossa dentibus:
 l Et abs te semesa apponere aliis:
 m Aut cibum eximere ori, & reponere in quadram:
 n Et inter edendum caput scalpere, garrere, ridere,
 & similia.
 o Et simul mandere & loqui:
 p Et potare, cibum habens in ore:
 q Et bibere ore pleno, vel cum sonitu:
 r Et fodicare dentes, ungvibus aut cultro.
6. Adolescenti edendum est ad refectionem, non ad
 ingluviem.
7. Et bibendum ore absterfo, & modicè: non ultra
 duos, aut ad summum tres, moderatos haustus.
8. Puer ad mensam nihil loquatur, nisi rogatus.
9. Neque sedeat (præsertim si hospites adsint) usque
 ad prandii finem: sed sumto quantum satis cibo, surgat:
 sublatâque suâ quadrâ, & salutatis accumbentibus, di-
 scedat: aut stando ministret.

XIV.

A P R A N D I O.

B4

LM

P R A E C E P T A

1. *Ablue saepe manus, laues post prandia semper
Os, dentes refrica, sanus sic purus & esto.*
2. *Abstineas libris, cerebrum ne coctio turbet,
Et vapor ingesti pariat morbos alimenti.*
3. *Ingenii pestem fugiat post prandia somnum,
Colloquiis lepidis recrea te, vel spatia re,
Aut ludo pulchro fiat concoctio donec.*

C A P. XV.

D E L U D O E T R E C R E A -
T I O N E.

1. *Ad ludum propera laxatio quando laboris
Contingit, corpus renovabit motio, mensque
Clarior evadet; lusus sunt & pila, conus,
Cursus, ac saltus, globus, hi sed sint moderati:
Nec citra veniam praceptoris quoque ludant.*
2. *Est lusus pictas per cartas, alea, lucta
Turpis, & in fluviis caveat sibi quisque natate.*
3. *Conciliat gratum ludentibus ordo decorem,
Promptior & mens fit per lusum, corpus alacre:
Ingenuè ludas, virtus non fraus tibi vincat.*
4. *Segnities, fastus, clamor, meditatio grandis,
Atque dolus lusum quemvis reddunt inhonestum.*
5. *Sponsio ne nummis sit, libris, quae dare damnum
Possunt, sed victus victoris iussa sequatur;
Historiam recitet, gnomam, vel carmina fingat,
Aut aliquid risus plenum praestare tenetor.*
6. *Inter ludendum versetur sermo Latinus,
Utilitas duplex, animi vegetatio nempe, &
Corporis exurget; studii profectus habetur.*

7. Ludere

M O R U M.

1. *Manus abluere, os prolue, dentes defrica, ut sis purus.*
2. *Libris abstine: ut ne spiritus concoctionis officium peragentes evocentur ad superiora.*
3. *Sed & somnum meridianum, ingenii pestem, fugito: deambulatione, colloquiis honestis, aut ludo aliquo te recreans, donec concoctio peracta sit.*

XV.

I N L U D O E T R E C R E A -
T I O N E.

1. *Quando à laboribus conceditur relaxatio, Ludo te recrea, qui Corpori motionem, & Animo vegetacionem, adferat: quales sunt Trochus, Globuli, Globus & Coni, Pila, Cursus, Saltus. Omnia tamen moderatè, nec citra Praceptoris praesentiam, aut veniam.*
2. *Ludi prohibiti sunt, Alea, seu Tessera, Charta picta, Lucta, Pugilatus, Natate in aquis: & similia, vana aut periculosa.*
3. *Decorant ludum, Corporis alacritas, Animi laetitia, Ordo, Ingenuè ac legitime ludere, Virtute non fraude vincere.*
4. *Dehonestant ludum, Pigritia, Melancholia, Insolentia & clamor, Dolusque malus.*
5. *Sponsio fiat non in nummos, aut libros, vel graphia, & alia damnum inferentia, sed ut victus faciat imperata Victoris: seu gnomam aliquam aut historiam, recitando, seu versum fabricando, seu aliquid ridiculum sibi injunctum praestando.*
6. *Colloquia inter ludendum Latina sint, ut Lusus binam habeat utilitatem: vegetationem nempe Corporis & Animi, & profectum in literis.*


7. Dum

PRÆCEPTA

7. *Ludere cessabit, si ad ludum tempus eundi est.*

CAP. XVI.
MORES VESPERTINI.

1. *Cœnâ finitâ stabis, vel mille meabis
Passus, cantato laudes, aut acta diei
Continuò repetas, seu verbis blanda profare.*
2. *Finitis precibus dulcem conquire quietem,
Prospera sit noctis, tunc dicas aura propinquis.*
3. *In lecto reputa stando vel poplite flexo,
Iste dies tibi quæ dederit bona, feceris aut quid.*
4. *Si quid peccatum fuerit supplex prece Christum
Inquiras, de te sperabis tum meliora..*
5. *Si nihil admissi te culpet, gratia Jesu
Sit, qui clementer vitio defendit ab omni.*
6. *Illi commendes imo de pectore temet,
Insidias omnes pellat, turbantia sicut
Somnia, protector præsto sit noctis in umbra.*
7. *Ingressus lectum noli pronusque supinus
Cumbere, sed primum lateris procumbito dextro:
Post mediam noctem partes inverte sinistras.*
8. *Ad somnum plures tecum si convenient, post
Vota quieta dato noctis, non amplius ullum
Sermonem aut strepitu turba, sint cuncta quieta.*
9. *Ante sopor placidus quam totos occupet artus,
Præcipuum si quid mens observaverit, illud
Perpendas, sic det præstans meditatio somnum,
Manêque surgentem comitetur sanior aura.*




MORUM.

7. Dum tempus Scholæ instat redeundum est à lusu ad ludum.

XVI.
MORES VESPERTINI.

1. *Cœnâ finitâ nihil novum inchoa, in ambula, canta,
Deum lauda, acta diei repete.*
2. *A precibus vespertinis nusquam evagator, ad quietem te conferto: parentibus & familiæ prosperam noctem precatus.*
3. *In cubiculum delatus, (& ad lectum stans, aut genibus flexis) quomodo tibi peracta sit dies, tecum repeta.*
4. *Atque si quid à te peccatum animadvertis, Christum deprecare, melioraque de te pollicere.*
5. *Si nihil adeò, age gratias misericordiæ illius, quæ te præservavit à vitio.*
6. *Tum te illi commenda toto pectore, ut te ab insidiis mali spiritûs, & terriculamentis nocturnis, obsecrisque somniis, protegat.*
7. *Lectum ingressus, neque pronus cubueris, neque supinus: sed primum lateri dextro innitens, à mediâ vero nocte sinistro, valetudinis causa.*
8. *Si plures in eodem cubiculo ad dormiendum conveniunt, post data & accepta quietæ noctis vota, neminem amplius (sermone aut strepitu) turbaveris; quieta sint omnia.*
9. *Antequam tamen indormias, exquisitam aliquam sententiam, die istâ observatam, rumina: ut bonis meditationibus indormias, & cum iisdem evigiles.*

LUC. 10. 28. Hoc fac & vires.





AD PUERUM PHI-
LOMUSUM, DE LEGIBUS
SCHOLASTICIS.

Quæ parvis contenta damus præcepta tabellis,
Sæpius attento fac puer ore legas.
Et lætas memori servato pectore leges:
Sic venient studiis commoda multa tuis.
In quibus ille parum mihi profecisse videtur,
Qui nondum didicit moribus esse bonis.

SPECULUM VITÆ
HUMANÆ.

Hora, Dies, Mensis fugiunt, Annique recedunt,
Lustra fluunt, abeunt Secula, Vita perit.
Vita perit: sed ne pereat tibi, quolibet Anno,
Mense, Die, atque Horâ, fac bene, disce mori.
Disce mori in Domino, treme Judicis ora supremi,
Exhorre infernum, gaudia quære poli.
Quid prodest homini totum sibi subdere mundum;
Atque animæ propriæ damna stupenda pati?
Transit honor mundi, malefvada pecunia transit:
Transit amor carnis, transit & omne bonum.
Jesus noster honor, noster thesaurus Jesus:

Jesus

Jesus noster amor, perpetuumque bonum:
Vive Deo, ut possis istam bene vivere vitam.
Vis bene post mortem vivere? vive Deo.
Sic tibi jam hora, dies, menses, annique manebunt,
Secula durabunt, vita perennis erit.

DE LIBERALIBUS
ARTIBUS.

QUONIAM

Ingenuâ nihil est usquam præstantius arte,
Dulcia quæ mœsta præbens solatia menti,
Pauperiem durôlque fugat secura labores,
Despiciensque solum, fertur sublimis ad astra.

Grammatica.

A me principia, & magnarum exordia rerum
Sumuntur: doctas hinc fit progressus ad artes.

Arithmetica.

Præcipuas partes tribuit, primasque Mathesis
Jure mihi, numeros certa ratione docenti.

Musica.

Jucundo tristes oblecto carmine mentes,
Depellô graves curas, relevôque labores.

Geo-

Geometria.

Terrarum tractus, & latas metior oras,
Ingenio gaudens subtili, & acumine mentis.

Dialectica.

Discerno à falso cauto discrimine verum,
Res dubiæ per me dicta ratione probantur.

Astronomia.

Ardua cærulei perlustro sydera cœli,
Et scrutor rutili sublimes ætheris orbes.

Rhetorica.

Per me formatur facundæ gratia lingvæ,
Quâ Deus, & regum mentes, hominûmqua moventur.

C A R M E N C U I U S dam, in Septem Dies.

1. **P**rima dies lucem fidei mortalibus affert,
Dum quæ non cernunt edocti pectore credunt.
2. Sicut aquas ab aquis sejungit Conditor orbis,
Sic doctrina monet quo spiritus & caro distant.
3. Hinc carnis malefvada fugit, ceditque cupido:
Jamque salutiferos profert mens integra fructus.
4. Lunari veluti lucem sol mutuatur orbi,

Sic

7.

44 COMMENT. PR
tiam in cruce & afflictioni
Quicumque vult pone me venire,
p. um, & tollat crucem suam ac sequatur me,
hoc non facit, non est eius dilectus
pronuntiat, Luc. 14. 27. Quicumque
cem suam & sequitur me, non potest
palus. .4. Mansuetudinem & humilitatem
ut. 28. 29. 30. Venite ad me omnes
& onerati, & ego faciam ut requiescat
jugum meum in vos, & discite a me
& humilis corde! & invenietis requiem
vestris. Jugum enim meum facile
est.

Quamquam autem in antea
strinis jam ostensum est, quare
scipuli Domini obnoxii sint peccatis
men ad illas rationes adhuc
sunt. Nam primò quidem discipuli
sunt objectum malitiæ mundi
vivunt. 2. Tim. 3. 12. Omnes enim
vivere in Christo Jesu. perseverant
Quemadmodum idem experiri
discimus & videmus: quòd qui
ferè afflictior, eò plures habet
Expende exemplum Davidis,
stolorum.

2. Deinde verò, quia Deo non
via nos ducere in Cœlum; viam
asperam, teste Christo Matt.
per angustam portam: quoniam